

1846 #81

23

BX855  
.14  
1733-62  
v.6  
t.2  
c.1



# BULLARUM

PRIVILEGIORUM AC DIPLOMATUM

## ROMANORUM PONTIFICUM AMPLISSIMA COLLECTIO

CUI ACCESSERE PONTIFICUM OMNIUM  
VITÆ, NOTÆ, ET INDICES OPPORTUNI

OPERA ET STUDIO  
CAROLI COCQUELINES

## TOMUS SEXTUS PARS SECUNDA

AB ANNO XII. URBANI OCTAVI USQUE AD ANNUM XXI.  
SCILICET AB ANNO MDCXXXIV. USQUE AD ANNUM MDCXLIV.



ROMÆ MDCCLX.  
TYPIS, ET SUMPTIBUS HIERONYMI MAINARDI.  
IN PLATEA AGONALI AD VICUM CUCCAGNÆ.

SUPERIORUM FACULTATE, ET PRIVILEGIO SANCTISSIMI.



1080045201



46485



BULLARIUM

ROMANORUM MONASTICUM

TOMUS SEXTUS



ROME MDCCLX



EMINENTISSIMO, ET REVERENDISSIMO PRINCIPI  
**D. JOSEPHO MARIÆ**  
TITULI SANCTI PANCRATII  
S. R. E. PRESBYTERO  
**CARDINALI FERONI.**

*[Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.]*

HIERONYMUS MAINARDI FELICITATEM.



OMPLURIBUS, magnisque beneficiis me Tibi,  
CARDINALIS AMPLISSIME, devinctum pu-  
blico aliquo monumento, ut testarer, sollicitus vehe-  
menter eram, cum optato advenit, ut præla mea, quæ  
jamdudum in Magni Bullarii Romani progressionè arctata  
sunt



sunt, Secundam Tomi Partem hisce diebus publici juris fecerint. Festinans igitur, quam tamdiu desideraveram occasionem, arripio, & Volumen hoc, votis meis facturum fatis, præclaro Nomini Tuo inscribo, & consecro. Id autem si leve nimis pro AMPLITUDE TUA, Tuorumque in me magnitudine meritorum pro iis hercle, quæ mihi suppetunt viribus, proque eximia, ac pene singulari Tua humanitate, fortasse non exiguum erit observantiæ erga Te meæ argumentum.

Huc accedit, quod Volumen hoc complectitur Constitutiones, quas decem postremis Pontificatus Sui annis sanxit URBANUS OCTAVUS; Quamplurimæ ex his ad Libertatis Immunitatisque Ecclesiasticæ firmitatem, Juraque Sedis Apostolicæ facta tecta que servanda; Multæ ad restituendam, conservandamque in Ordinibus Ecclesiasticis, vel maxime Regularibus labentem tunc temporis disciplinam, felicemque illorum institutionem, atque gubernium; Aliæ demum ad literarum scientiarumve in publicis ubique Studiis, ac Universitatibus, & præcipuè in Collegio de Propaganda Fide ad Orthodoxæ Ecclesiæ incrementum, emanatæ leguntur. Quibus præclarissimis curis quam sollicitus tenearis, nemo est qui ignorat; unde potissimum fit, ut Volumen hoc jure quodam suo Te sibi præ cæteris vindicet Mæcenatem.

Enimvero quum incorruptis doctrinæ, ac morum exemplis a prima juventute consueveris, maturus factus ætate, eam virtutis speciem, quibus jam inclarescere cœperas latius ostendisti, quæ Te cum primis illustrem reddidit, & commendatum. Tum omnium spem, & expectationem implens a BENEDICTO XIII. a Secretis Immunitatis Ecclesiasticæ, necnon Archiepiscopus Damascenus, non dum trigesimo secundo expleto ætatis anno, fuisti renunciatus. Neque id mirum! Noverat Sanctissimus ille Pontifex ingenii Tui præstantiam, prudentiam, & in rebus gravissimis tractandis dexteritatem. Noverat morum integritatem, pietatem, atque Christianam moderationem, quibus exornaris. Decessoris sui inhærens vestigiis CLEMENS XII. quum qualis quantusque esses non ignoraret, Te Sacræ Universalis Inquisitionis Assessorem constituit; & ita constitutum amplioribus Officiorum muniis Te voluisset exornatum,

nisi

nisi mors Principem Tibi beneficentissimum eripuisset. Verum virtus Tua omnibus æque Principibus semper similis, semperque singularis præclarissimo quoque in maximo Apostolatu Successori apprimè innotuit: Quid enim BENEDICTUS XIV. præclari, quid amplissimi conferre potuit, quod Tibi liberaliter non contulerit? Te enim a Secretis Episcoporum, & Regularium Magistratus adscivit; deinde vero in Amplissimum S. R. E. Cardinalium Senatum plaudentibus omnibus cooptavit. Quid plura? Profecto neque melius, neque aptius, quam ex CLEMENTIS XIII. judicio gravissimo, quantum in omni rerum genere Tua prudentia, ac doctrina emineat, intelligere possumus, qui honores honoribus augens, in difficilioribus, ac revera salebrosis Christianæ Republicæ negociis agendis, procurandisque Tua potissimum opera usus est, atque utitur eo successu, ut Te in dies gratiorem habeat, neque ulli secundus apud OPTIMUM PRINCIPEM communi opinione existimeris. Quo factum est, ut carus universis, omnium Tibi animos devinxeris, & voluntates.

Habeas itaque, PRINCEPS EMINENTISSIME, tot causis Tibi debitum munusculum, quod oro, obtestorque æquo lubentique animo excipias, meque ut semper dignatus es, gravissimo Tuo Patrocinio, Auctoritate, Gratia profequare.